

Gerdes
Vindiciae disser-
tationis de
iuris prudentia
non sapientiae
oppositae acce-
tri monographia ad
monitionis de
laetificationem.





L 68
20
87
C. f. num. 28.
PHIL. BALTHAS. GERDESH,

J. U. D. ET PROF. ORDIN., AC REGII CONSI-
STORII PER POMER. ET RUGIAM DIRECTORIS,

VINDICIAE

DISSERTATIONIS

P: 348/
De
IVRISPRVDENTIA NON PA-
PIZANTE;

H. J. Tschott
OPPOSITÆ
AVCTORI ANONYMO

ADMONITIONIS

Kab 258
De
HÆRETIFICATIONE.

GRYPHISWALDIAE

PROSTANT
APVD CAR. HÖPPNERVM, REG. ACAD. TYPOGRAPH.;
ANNO MDCCXXXII.



PHIL. BALTINUS. GERMANUS.

LUD. PET. PROST. OLOMUS. AD REGL. CONS.
STORIÆ PÆPÆRÆ TIT. LUGD. DIRÆCTORÆ.

VINDICIA

DISTRACTIO

JURISPRUDENTIA NON ET
PRAEANTE

CROSSITA

MELIORA MELIORA

ADMONITIONIS

HÆRETHICATIONE

GRYPHIA WAFIDI

PROSTANT

ALVD CAR. DÖPTEINER. LEG. A.D. TURGEBATI

anno MDCCXXVII



Criptum, in me directum, nuper in lucem evolavit
publicam, quod in fronte nomen gerit præfixum:
*Admonitio de Heretificatione una cum defensione pro ve-
nerabili Facultate Theologica Rostochiensi adversus Differ-
tiationem Juris Consulti Gryphici de Jurisprudentia
non Papizante.* Auctor scripti est e turba lucifuga-
rum, dum nomen suum & locum, ubi illud excusum, suppressit.
Sed res hæc mali augurii est, cum princeps tenebrarum sit malus
spiritus. Initio quidem mihi decretum omnino fuit, non respondere.
Nam vetus illud memineram:

*Bacchæ Bacchanti si velis adversarier,
Ex insania insaniorem facies, feriet sapius.*

Deinde aliæ graviores causæ animo meo præceperunt silentium.
Tempus namque saluti publicæ & longe nobilioř labori debeo,
quam ut illud cuilibet, cavillandi & calumniandi libidine æstuanti,
impendam. Præterea Auctor mihi ignotus est, & nescio, integræne,
an notatæ, frontis sit. Cum hoc contendere, inglorium est certa-
men, & victoria, inde quæ speranda, est sordida & parum honesta.
Atque si ille Auctor scripti sit homo inquietus, tumultuosus, turbis
ferendis & omnibus rebus miscendis ac pervertendis aptus, natus,
usuque factus, etiam cum tali congredi abhorret animus vehemen-
tissime. Canum natura est, sine causa & discrimine latrare. Hanc
prodidit Auctor, dum inani ac vano prorsus opere, nulla re a me
provocatus, procaci ore Dissertationem meam de *Jurisprudentia non
Papizante* infectatus est. Tales latratus mente contempnere generosa
præstat, quam fuste expedire, quo demum opus est, quando dentibus
mordent. Denique scriptum illud rerum, prudentiæ ac rationum
inanissimum, unice calumniosis ac mendacibus suspicionibus sub-
nititur; hinc dignum est, nullum quod ferat responsum. Attamen
varix tandem rationes animum vicerunt, ut hac vice respondere
constituerim, quisquis etiam tenebrio ille fuerit. Nam primum
publicæ

-A-

publicæ interest salutis, effrenam mentiendi ac calumniandi licentiam retundi ac reprimi, nec etiam tacito calumniarum contemptum famæ nostræ semper consulitur, nisi eadem abstergantur. Vetus enim, usque probatum est dipterum: *Calumniare audacter, semper aliquid heret.* Quid imo exempla plurima jandudum dederunt evictum ac cognitum, unum alterumve ab ejusmodi impostoribus sibi imponi passum esse facillime. A viris prudentibus quidem, rerumque gñariss, non est, quod vir honestus finistram opinionem ideo metuat. Sed dantur insipientes, aut, ut mollius loquar, prudentia inanissimi, rerumque rudes, perversi atque iniqui judices, qui fabulis & fabulationibus anilibus fidem adhibent, indeque in transversum rapti, causam Dei a calumniatoribus agi, temere existimant. Præcipue etiam ad respondentium me impulit, quod tenebrio ille nec scripta, nec cogitata unquam, mihi affingat, adeoque inter malitiosos calumniatores & sophistas primum teneat locum. Qvaræ mæa interest, hæc repelli, ne credat concessi, quæ non sint refutata. Brevioribus tamen stricturis singulos hujus scripti §§ coercedebo, quædamque reponam, aliena, quæ me non tangunt, qualia multa sunt, quia Autor morem hæretificum tenuit, qui multas res a scopo aberrantes permiscent, quas ad confundendum aliis odium aptas habent, prætermissurus, quæ,

§. 1. dam vero, si res hortari videatur, in transcurso dicturus. Autor in §. 1. palpum mihi obtrudit, dum Dissertationem de *Jurisprudencia non Papizante* encomiis onerat, quæ facile ipsi potuisse remittere,

§. 2. quia malus, quando se bonum simulat, tum pesimus est. Autor æque mox pilum mutat, dum in §. 2. asserit, Dissertationi meæ nonnullas maculas deformes admodum, tetricas, foedas, ac foetidas adspersas esse, quibus congettis synonymis naturam hæretificis exprimit; quippe hæretifices tantum ad maledicendum eloquentiæ studium exercent. Verum in tenebris dum oberrat, non est mirum, quod affectibus insuper præpeditus, circumductus atque delusus, oculorum acie destituantur, eique ob sensus eorum hebetes, maculæ appareant, quæ non sint, sed in cerebro ipsius male comparato enatæ videantur. Neque enim sufficit, per hariolationem, quod Autori evenit, maculis Dissertationem adspargere, sed probationem, eamque legitimam, non per mendacia & calumnias effectam, merito & jure efflagito & postulo. Tenebrio quidem hanc in rem ingressum Dissertationis de

de *Jurisprudentia non Papizante* adduxit; sed ille nil continet, nec probatum nec probandum. Imo Autor ipse omnia in thesi a me adstruta vel mordens agnoscere debuit. Unde quidem alia ei causa illum impugnandi non fuit, nisi quod ipse imaginem suam in eo representatam offenderit. Itaque cum Autor rerum argumentis nil efficere potuerit, suspicionibus rem fuit aggressus. Qva in re iterum hæretices imitatus est, quorum præcipua vis est, ut suspicionibus aliquem invadant. Hæretices enim sunt maligni, nec finem, nec modum suspicandi capientes. Sed quo magis quis est suspicax, eo est improbior. Sic Autor in §. 3. hariolando suspicatur, §. 3. quod ingressum istum in gratiam Pietistarum adornaverim; quæ tamen criminatio est merum mendacium & calumnia: Cujus etiam indolis est istud, quando is animi malignitate impulsus me arguit, quod in Dissertatione de *panis hereticorum*, patrocinium Pietistarum suscepimus. Adhuc impudentior vero est calumnia, qua mihi affingitur, quod pro hæreticibus habeam, iisque pœna dignis, qui divino zelo obstent, quo minus Pietismus irrumpat. Sed ubinam talia a me proleta exstant? Ostendat Autor paginam & lineam. Qvod si non fecerit, dignus omnino est, cuius fronti litera kappa inuratur, ut ex ea internosci possit calumniator. Atque collapso sic fundamento, omnia eidem superstructa sua sponte corruunt. Definitio hæreticii, quam dedi, inculpatior est, quam ut vel momus eam carpere, aut Auctor damnare possit, nisi calumniatorum partes defendendas in se velit suscipere. Nam calumnia & divinus zelus toto cœlo differunt, ut ut Auctor ea pro synonymis accipere videatur. Tenebrio iste mihi vitio vertit, quod non exposuerim, quid per calumniam intellectum velim. Sed hac re superfedere poteram facillime, quia significatio vocis calumniæ cuivis est obvia, neque hæc vox unquam alio, quam malo accipitur sensu. Deinceps Autor ignorantiae suæ faciliter opera succurrere potuisset, si modo evolvisset Lexica FABRI, CALVINI, aliorumque, qui calumniam dicunt quamvis ex falso fictoque crimine infamationem, & si plenius res fuerit exhaustienda, ex meo sensu calumnia est *crimen falsi*, cum nobis adversarius, aut malum, qvod non fecimus, objicit, aut bonum, qvod fecisse probamus, in contrarium interpretari conatur. Hoc cuilibet certissime constat, per calumniam non posse intelligi divinum zelum,

vel si quis zelus simul intelligendus sit, non alias erit, ac qualem Spiritus sanctus redarguit. Rom. XV. 1. Neque etiam Auctor credit, calumnias suas inde suffultum iri, quod me in Dis. de *pœnis hæreticorum* statuentem adduxerit, Pietistas per pragmaticam Imperii sanctionem pro hæreticis civiliter talibus nondum declaratos esse. Verum hoc quoque ad artem hæretifici pertinet, ut innocenter & vere dicta invidiosissime accipiantur non solum, sed etiam coaffectaria inde ducantur falsa, nullatenus ab iis, qui oppugnantur, pro legitimis agnoscenda. Auctorem oportet, pragmaticam Imperii sanctionem proferre, qua declaratio illa facta sit, si alias assertum meum revincere velit. Quamdiu hoc non est factum, tenebrio frustra illud allatrat. Proinde assertum meum est Juris publici, quod nec ad Theologos aut Theologastros poterit trahi, nisi ad sangvinarios hæretices, quibus nulla est religio, debellandorum Pietistarum gratia, vel tricennale bellum in Germania resuscitandi. Jurisconsulti Evangelici pariter uno affirmant ore, pontificios & reformatos non esse hæreticos civiliter tales. Sed quis inde, nisi e pudenda inscitia, ganiret, Jurisconsultos Lutheranos patrocinium Papismi aut Calvinismi suscepisse, & pro hæreticibus, iisque pœna dignis, habere, qui doctrinæ pontificiorum & reformatorum obseruantur. Eodem prorsus modo comparata est criminatio, quam tenebrio exinde mihi impactum ivit, quod statuerim, Pietistas per Imperii sanctionem pro hæreticis civiliter talibus nondum esse declaratos. Sane cui paululum sanæ mentis, is facile perspiciet, collectionem ab hæretico civiliter tali ad hæreticum Theologice talem, minime procedere. Deinceps hanc adhibui cautionem, ut excepterim Fanaticos vere tales, quos omnino hæreticos esse dixi, ac lubens omnino largior. Hos vero hæretices Orthodoxi sub monstroso nomine Pietistarum male comprehendunt, & una nonnullos Theologos Orthodoxos, viros pios, titulo Pietistarum innocentissime onerant. De quibus per malitiam & calumniam fidelis Pietistis ex vero nonnemo scripsit, quod sit fabula, multis fraudibus & nequitius instructa, Quam ob rem vere scripsit LYNCKER, in Dec. 393. Dass die Sachen, welche unter dem Nachmen der Pietisten eigentlich zu verstehen und begriffen seyn sollen, noch zur Zeit nicht ausgesprochen; quam integrum decisionem Facultas Theologica Lipsiensis in Responsio sub dato

dato den 7. Octobr. 1710. his verbis approbat: Daher wir des vortrefflichen Christlichen Juris-Consulti, jetzt Kaiserlicher Mayet, zu Wien Reichs-hof-Raths, disfals gegebenes Responsum mit andern Christlichen Politicis, und NB. vermußtigen Theologis allerdings auch approbiren. Quid audiamus magni nominis orthodoxum Theologum Dominum LÖSCHERVM, de Pietistis in sensu Theologico ita differentem: Ich halte davor, daß man unterlassen könne, sie mit dem Nahmen der Pietisten, und mit dem Elencho, wie er wieder die Sectarios geführet wird, zu belegen, werde auch solches unterlassen. Nec abs re erit ulterius ex supra adducto responso Facultatis Theologicae Lipsiensis verba quædam hoc apponere: Der Nahme Pietist ist nicht nur ein Vocabulum æquivocum, sondern per receptum usum injurieuser Nahme, weil damit unschuldige Lehrer und gottesfürchtige Zuhörer gelästert werden ic. Das ist eine schwere Lästerung des heiligen Nahmen GÖttes: Weshalb auch unser Allergnädigster König in verschiedenen Edictis scharff verboten, die ärgerlichen Spott-Nahmen Pietist und Anti-Pietist weder in Cathedra Academica, noch Ecclesiastica zu gebrauchen. Dwar kan das nicht geläugnet werden, daß auch in unsern Evangelischen Kirchen sich gefunden, welche verkehrte Lehren vorgebracht, und Fanatische Dinge vorgenommen, wodurch die Gemeine Christi turbiret und irre gemacht, und solche werden NB. von unverständigen Leuten auch Pietisten genannt; Die sollte man mit ihren rechten Nahmen Fanaticos nennen, und nicht das Wort pietas missbrauchen, wodurch mancher Schwachgläubiger sehr geärgert, und endlich einen Abscheu a Studio pietatis bekennen kan, welches der gerechte und heilige GÖtt hier zeitlich, und wo sie nicht Buße thun, dort ewiglich straffen wird. Ita orthodoxy Theologi Theologice de Pietistis sentiunt, nec tamen auditum suit, ejusmodi dicam illis scriptam, quam mihi tenebrio scripsit, qui saltem de hæreticis civiliter talibus locutus sum. Sed quid multis? usus & praxis meam sententiam confirmat. Etenim hæretici civiliter tales, a tribus in Germania receptionis religionibus disidentes, e Germania expellendi sunt, iisque poenis, in hæreticos constitutis, subjiciendi; de quibus egi in Diss. de pan. heret. cap. ult. Atque vero Auctor Spenerum pro Pietista, & B. Buddeum pro Fanatico insuper habet. Sed hi nominis

fama celeberrimi Theologi, in publicis muneribus sacris constituti, iisdem cum orthodoxis iuribus sunt usi, longe majori condecorati honore, ac multi quidem orthodoxi hæretifices. Unde manifestum redditur, Pietistas, quos Autor pro iis venditat, non esse hæreticos civiliter tales. Sed progrediendum est ad §. 4. Auctoris, ubi quidem nemo non cum Autore sentiet, absurde inter hæretifices recenseri, qui hæresibus obstant &c. Sed quid hæc faciant contra meam hæretifici definitionem, non capio. Tota Auctoris disputatio sycophantica est, ac mihi is affingit sententiam, ratus, mea placita eversum iri, si ipse absurditatem commenti sui cerebrini destruxerit. Hæretifices descripsi eos, qui per calumniam innocentibus notam hæreseos impingunt. Calumnia diabolum habet auctorem, qui tricesies sexies in novi Testamenti tabulis calumniator audit; etiam pater calumniatorum dicitur, cuius proprium est, verba & facta membrorum CHRISTI traducere & falsis delationibus deformare, atque omni modo pacem Ecclesiae turbare. Quicunque ergo meam, in calumniatores unice quadrantem, definitionem hæretifici admordet, eamque iniquo fert animo, is non tam patronus calumniatorum est, quam inter hos primum post Autorem calumniarum locum occupare meretur. Hinc quoque satis apparet, quam inconcinne, non convenienter, ac frivole Auctor Dominum NEVMEISTERVM causæ suæ oratorem constituerit. Ut enim taceam, quod non nemo dixerit, quod orator ex se nihil sit, falsa pro veris venditans, & quo potentior in hac arte, hoc major habeatur. Sed mihi quidem pro praesenti rerum copia poterit sufficere, quod retorsio, quam Dominus NEVMEISTERVS est fabricatus, & in Jurisconsultos, praetores ac iudices inficete exercere instituit, meam hæretifici definitionem plane non feriat. Etenim quando iudex per calumniam furti condemnat innocentem, is graviter delinquit, poenaque dignus, & que ac hæretifex, qui innocentem, maxime per calumniam hæreseos reum arguit. Verba ultima, que ex Dn NEVMEISTERO sua fecit: Der Teuffel machet Reizer; vera hoc sensu habeo, quod Diabolus interveniente opera hæretificum, suorum utpote satellitum, artem hæretifici, quam descripsi, exerceat. Hoc si Dominus NEVMEISTER mihi concesserit, uti spero, inter me & ipsum non erit dissensus. Neque vero ullam alias perspicio cau-

causam, quæ ipsum movere poscit, ut succenseat sine causa illis,
qui hæretificum, quale quidem descripsi, odio habent. Nam sum-
mi & doctrina & pietate Theologi illud summopere sunt detestati.
Theologus omni laude major GERHARDVS de hoc nimium quan-
tum grassante malo graviter his versibus est conquestus:

*Qui studium hoc aeo pietatis graviter urget,
Et sophies partem tractat utramque sacre,
Ille Rosicrutzius vel Weigelianus habetur,
Et nota turpis ei scribitur hæreseos.
De me non verita est virosa calumnia id ipsum
Spargere, & bis nugis conciliare fidem.
O cæcas hominum mentes! O pectora caca!
O sine judicio debile judicium.
Discite, quæso, prius quæ vere Weigelianus,
Quisve Rosicrutzius, discite quæso, prius.*

Pariter JOH. FRIDI MAYER, Gener, quondam Superintendens, in
præfatione ad MÜLLERI & LÜTKEMANNI Postillas hoc vitium exæste ex-
pressit, & ejus reos singula Decalogi præcepta violare, sat egregie do-
cuit. Qvin Auctor ipse tandem vel invitus veritati vietas porrigit §. 5.
manus, meam hæretificii definitionem aliquatenus admitti posse,
concedens; quamquam in eo a vero aberret, quando statuit,
eam demum per abusum vocabuli admitti posse. Nam puto, hæ-
retificium vere & usitato more a me descriptum esse. Interim
per me quidem Auctor abundet suo sensu. Frustra vero idem a me
probationem efflagitat, veræ doctrinæ propugnatores Pietistis un-
quam malitiose & fraudulenter perniciosum quendam errorem in
religione tribuisse, vel in re, quæ fundamentum religionis haud tan-
gat, errantibus hæreseos notam impégisse, cum nullibi hoc dixe-
rim, indeque onus probandi subire haud debeam, nec vero Au-
ctoris probandi modum, dicentis, notoria non indigere probatione,
sequi

sequi velim. Qvod Autor addit, potius calumniæ vocem in eos quadrare, qui erroribus Pietisticis e verbo divino fortiter & cum zelo repugnantes in judicium vocent, iisque injuriarum actionem intentent; hoc non adeo obscurum est ænigma, infra forte solvendum. Jam hæc omnia Auctori possum concedere; sed vicissim mihi dabit, jus fasque esse, calumniatores atque hæretices propter manifestas injurias & calumnias in jus vocandi atque actione injuriarum conveniendi, quo is, qui malum fecit, secundum justitiam malum ferat. Sin id Autor negaverit, metuo, ne is ex Orthodoxo transformatur in Pietistam: Pietistis namque tribuitur, quod omnem injuriarum actionem damnent atque illicitam habeant. Itaque potius stratagema genii istius infernalis est, quando is, qui alterum vult obtrectare, nomine orthodoxæ abutitur, & sub hujus velo ac zeli callida simulatione scelus calumniandi tegit. Etenim, dicente Illustri Domino PVENDORFIO, Diabolus meliorem calumniandi modum, quam hunc quidem, non noxit. Frustra Autor in RANGONIS auctoritate præsidium querit. Sed hoc quoque inter artes hæretificum referatur, quod bonus in hac arte artifex, cum videat, se rerum momentis destitui, tum olim fama celebratos viros ad vitam veluti revolet, & sub horum autoritate adversarios obtruere attentet. Ast si tenebrio vel legionem Theologorum, imo si vel infallibilem Papam cum Cardinalibus, Archiepiscopis, & omni choro Clericorum mihi opponeret, quod statueret, privilegium calumniandi ac convitiandi Theologis aut hæretificibus competere, tantum tamen abest, ut iis terrear, aut ad credendum adducar, tale privilegium in sacra Scriptura, vel sana saltem ratione, fundatum esse, ut potius firmissime sit mihi persuasum, istud unice a Satana suum ortum ducere. Deinde quod ad RANGONEM attinet, constat ex JACOBI HENR. BALTHASARIS, Theol. Prof. in hac Acad., anderer Saïlung einiger zur Pommerschen Kirchen-Historie gehörigen Schriften, in Vitis Avg. BALTHASARIS & RANGONIS, ipsum multis litigiis cum illis Theologis implicitum fuisse, quibus hæreticas aut heterodoxas sententias imputaverat. Interim B. RANGO minime hæretificum illorum causam verbis istis agit, quos quidem mea hæretificii definitio complestatur, &, si id fecerit, quod nunquam tamen mihi persuadeo, ab ipso merito discedo. Nam sic sentio; quodsi Theologus, aut quivis alias cui-

cuidam falso, aut temere, aut per calumniam, crimen hæreſeos affricuerit, vel etiam vere heterodoxas opiniones in uno vel altero notet, sed simul convitia in auctores effundat, illos omnes, habita ratione gradus malitiæ, vel culpæ, in bene constituta Republ. christiana optimo jure puniri posse, quia christianos non decet, maledictis & convitiis christianam religionem propugnare. De foro poli enim est exploratisimum, convitiatores regni DEI hereditatem non esse possesuros. *i. Cor. VI. 9. 10.* Declamandi & exclamandi artem, quam Autor in B. RANGONIſ honorem exercuit, non invideo. Interim vero existimo, Ecclesiſ Pomeraniae æque bene consultum fuisse, licet RANGONE caruerimus, dum hoc damnum magno cum fœnore compensatum habuimus in eo, quod Dominus Generalis Superintendens de KRAKEVITZ, Theologus ὑποτιὼς orthodoxus, Ecclesiæ præfulerit haclenus. Quem vero, dum hæc typis curamus exscribenda, DEUS per mortem quidem beatam; omnibus vero bonis luctuosam atque acerbam quam maxime; ad gaudia transtulit atque evexit cœlestia. In §. 6. Autor in meam concedit sententiam, nemini in re, quæ religionis fundamentum non tangat, notam hæreſeos imprimentam esse. Id quidem, nec plura dixi. Nam alias ars hæretificum est præcipua, ut momentum controversiæ levis exaggerent, eamque acerrimo premant odio, quasi admissa contraria sententia, religio christiana in periculo versaretur anicipiti, aut convellerentur fidei christianæ fundamenta. Qvæ vero Autor in eodem §., ad rem quippe nihil pertinentiæ, subjicit, prætereo. In §. 7. Autorem pungit, quod statuerim, hæretificem poenis coercendum esse; nec tamen ejus veritatem expungere potuit. Porro addit, poenis coercendos esse hæreticorum Patronos &c. Sed in iis, uti in aliis, quæ in dicti §. proponit, neminem e Jurisconsultorum ordine contradicentem habebit. Qui enim malum facit, malum merito suo accipit, modo legitimis probationibus sit convictus. In §. 8. Autor horizontem suum egressus, lapsu ruit graviore. Ce leberrimus JCtus RECHENBERGIVS in Disf. de Crim. Hæretif., crimen in genere recte definit per factum illicitum, contra leges admissum. Sed inde Autor stolidē subduxit rationes, quod hæretificium non sit puniendum. Nam hæretificium, quia est factum illicitum, plebi omnino debet, nisi Autor velit, omnia facta illicita debere impunitatem

tatem consequi; quale principium statui bestiali convenit. Interim Auctori largior, non omne factum in honestum in foro humano puniri solere; nam sunt peccata quædam ita levia, ut ea queramur potius, quam exsequamur, ut legibus quoque iis nulla imposita sit pœna, cujus generis exempla sunt in l. 14. §. 14. de rel. & simpt. fun. l. 3. §. 4. ff. de sep. viol. l. 39. ff. de furt. &c. Verum ex horum numero non est hæretificium, quod est crimen atrocissimum, omnia decalogi præcepta violans; uti B. MAYER in supra all. Præf. ad Postillas MÜLLERI & LÜRKEM. pluribus evicit. Deinceps impunitas sceleris cessat, ubi pœna lege in illud est constituta, uti in hæretificium. Generaliter enim HONORIVS & THEODOSIVS in l. fin. C. de Calumn. rescripsere: Qvis quis crimen intendit, non impunitam fore noverit licentiam mentendi, cum calumniatores ad vindictam similitudo supplicii poscat; vid. TRIERI Dis. de variis modis coercendi calumniatores. Deinde hæretificium est species injuria. Leges vero diserte injuriantes non solum infamia notant, l. 7. pr. ff. de injur.; sed insuper pœna extraordinaria eos coercendos esse statuant. §. 10. Inst. de injur. Licet vero hæretices hodie non ubique debita pœna afficiantur, indeque licentia hæretificandi nimium luxurietur, tamen illud crimen recte improbat DECIANVS in Tr. de Crimin. L. 5. c. 57. n. 20. dicens, hoc scandalum maxime parare infidelibus. Species est zeli, sub quo carnales affectus, animum calumniandi, vindictam, ambitionem, hæretices occulunt, & quo simplices fallant turpis, vel gravissimis obtestationibus periculum purioris doctrinæ mentiuntur. Norunt enim, quod obtentus zeli Theologici apud imperitos & superstitiones applaudsum & excusationem sepius pariat. Attamen quando animus calumniandi evidens est, & verba per se injuriosa sunt; nemo nisi emotæ mentis dixerit, talem hæreticem in bene ordinata Republ. christiana impunem esse debere. Auctor in eodem §. ait, quod omnis cogitatio sit pravum factum. At enim vero repugnat hoc rei veritati & usui loquendi. Nuda cogitatio in foro soli ne quidem delictum habetur, nec quisquam cogitationum pœnam patitur, l. 18. ff. de pœn. Sed ipsa vox hæretifici ultra nudam cogitationem illicitum factum denotat. Quousque ergo bilis in pectore hæretificis solum æstuat, nec vero erumpit foras; sed potius in ipso inardescit, tam diu talis erit in foro humano impunis. Quam primum vero hæretifex vi-

rus

rus hæretificandi in alios despuit, tum idem digna poena plectitur. Definitio hæretificii, quam JCtus RECHENBERG tradit, non aliud, quam mea, sed plus saltem continet, siquidem ille istum quoque pro hæretifice habet, qui ex simplicitate aliquem hæreticum proscindit, hocque non male adstruitur, cum simplicitas, uti nec ignorantia, in factis per se injuriosis & de sua natura prohibitis neminem a poena omnimodo liberet vel excusat. Nullam ergo Dominus RECHENBERG commisit contradictionem in adjecto, ceu Author eum arguit. Nam licet culpa crimen propriè non contrahatur; contrahitur tamen quodammodo, ut multis ex legibus colligi potest, adeo, ut pro modo culpæ vel corporalis poena irrogetur. L. 2.
 §. 1 ff. de off. prof. vig. l. 9. §. 11. de incend. ruin. l. 15. ff. ad L. Corn. de fels. l. 2. in fin. de term. mot. Rem ut brevibus includam, Dominus RECHENBERGIUS sua sub definitione complectitur hæretificium dolosum & calposum, utrumque poena dignum, mea vero definitione saltem dolosum designatur. Parum mea refert, quando Author in §. 9. narrat, quod B. SPENER avus fuerit RECHENBERGI JCTI. Mihi enim sufficit, ipsum ex vero statuere, hæretificium esse crimen, quod poena coercendum; quam in rem unice eum excitavi, parum curans, qua intentione Dissertationem scripserit, quippe mihi antea plane ignotum fuit, RECHENBERGI JCTI, avum fuisse SPENERVM. Unde simul manifestissima redditur calumnia Authoris, qua dicit, me Spenerismo Pietistico, allegando JCTI RECHENBERGI Dis. de Crim. Hæretif., suppetias tulisse. Qvæ §. 10.
 Author ulterius in §. 10. contra RECHENBERGI Dissertationem affert, si-
 ve vera, sive falsa sint, ad me non pertinent. Hoc vero me tangit,
 quando sit impudenter scribit, me sceptro Svecico subiectum, RE-
 CHENBERGIUM allegare non debuisse. Sed quidni? quotidie Eth-
 nicorum scripta in consensum allegantur. Imo orthodoxi Theo-
 logi sæpe numero scriptores, extra orthodoxæ Ecclesiæ communio-
 nem constitutos, in qvæstionibus extra fidem, etiam materiis, ubi
 cum orthodoxæ Religionis scitis conveniunt, subinde adducunt.
 Improbe ergo tenebrio mihi dat criminis, quod orthodoxi JCTI RE-
 CHENBERGI Dissertationem citaverim. Sed longe improbiorem
 agit fatidicum, ominando, me non admodum repugnaturum moli-
 minibus Calvinistarum, si quo infortunio occasionem nanciseren-
 tur

tur, similem in modum Lutheranos divexandi. Sed optimum est, quod fatidici ab orthodoxis Theologis habeantur fatui aut Fanatici.

§. 11. In §. 11. Autor statuit, quod BÖHMERI autoritate pugnare non potuerim, quia eundem non una vice refutaverim. Verum non mihi animus fuit, Illustris Domini BÖHMERI autoritate pugnare, sed rei veritate, eumque ut testem veritatis adduxi. Deinceps licet in una alterave doctrina ab ejus sententiis divortium fecerim, nil tamen prohibet, quo minus in materia hæretificii, recte eidem sentienti meum adjiciam calculum. Quantum fidei Domino PFAFFIO in Theologicis alias sit tribuendum, nil refert, sed satis est, ipsum de crimine hæretificii recte docere, atque illud pestem Reipubl. &

§. 12. Ecclesiaz appellare. Auctor errat in §. 12. gravissime, quando existimat, me propriam hypothesis evertisse, eo quod dixerim, hæretifices ex facinore hæretificii opus meritorium facere. Sed hi imaginantur sibi opus meritorium, & similes sunt illis, qui in scelere opus meritorium constituunt. Qvo referendus Assasinus Principis Arausisionensis, qui omni tormentorum genere excruciatus, inter intensissimos dolores sepius contestatus est, se facinus denuo repetiturum esse, si vel maxime eadem tormenta sustinere deberet. Atque adeo hic homo scelestus parricidium Principis optimi pro opere meritorio habuit. Sed quis ideo illum a crimen absolveret? Quando Auctor ea opinione dicitur, illum, qui zelo agitatus sit convictior, excusandum esse; fallitur quidem turpisime, cum ze-

§. 13. lo scelus velare non liceat. In §. 13. Auctor disertis verbis agnoscit, Magistribus non esse maledicendum, sed opinatur, in orthodoxo non dari hujus rei exemplum. Verum Auctor, si orthodoxus est, mihi concedet, orthodoxum & impium in uno subjecto posse consistere. Qvo admissio, fieri etiam potest, ut orthodoxus hæretifex Magistribus possit maledicere, siquidem, dicente HIERONYMO, nulla crudelior bestia in mundo est, quam clericus & sacerdos malus. Apud Germanos olim abierat in proverbium: Böse Pfaffen seynd an allem Unglück in der Welt schuld. Neque tamen nego, illos sanctissimo nomine Theologorum indignos esse. Quid vero exempla longius peto? tenebrio ipse in loco hic positus est eminentissimo, quippe qui Edicto Illustrissimi Regiminis pesime insultavit, & clasicum sacri belli canens, universum clerum Pomeraniæ & Rugiæ

ad

ad arma, contra Illustrissimum Regimen sumenda, conclamavit & sollicitavit, qua in re partim instituit vestigiis illorum, quos magni nominis JCtus & Politicus, qui s^eculo XVI. vixit, his verbis delineavit: *Multi hodie sacerdotes in certaminibus insulsis, frigidis, rigidis, & Apostoli Domini incognitis occupati, pr^{et}er nomen, pompam & vestitum nil habent sancti, temulento impetu aliorum principum regiones, qvibus non praesunt, disceptationibus, declamationibus sanguinolentis, vanis tamen, absurdis & puerilibus maculantes, debacchantur egregie. Illi sunt, qvorum voces incendiarie, magnas conversiones in republica conflagrations excitarunt, nullaeque hodie buncinae sunt seditionis tam adjumento, quam improborum calide & callide conciones.* Hi sunt, hodie Censoria virga arrepta arbitri in definiendis & decidendis controversis esse qui ambient, &c. In §. 14. Autor illicitum habet, spretis §. 14. legibus ac superiorum mandatis, in haereticando, calumniando ac convitiando perseverare. Verum exempla obvia sunt, & leges imperii, atque in comitiis facta conclusa, id satis comprobant. Qvæ Auctor de elenco tradit, nil commune habent cum haereticio, per calumniam exercito. Elenchum doctrinalem, qui intra limites modestiae continetur, nemo damnabit. Interim cum abusus ejus saepe deprehendatur magnus, hinc summus Magistratus elenchum hunc legibus recte circumscribit. Vid. *Pom. Stat. Synod. cap. i. §. 1.* BRVNREM. *J. E. L. 3. c. 1. § 10.* Nec minus e republica est, quando non cuiuslibet in Theologicis scribendi facultas permittitur, quippe idiotæ & indocti saltem per inscitiam turbas excitare solent. Tandem etiam tenebrio cives inflammat ad contumaciam & designationem summo Magistratui parendi, eosque dicto Scripturæ: *DEO magis, quam hominibus obediendum esse*, armare intendit. Sed hic latet anguis in herba. Eodem dicto vel pessimos Fanaticos, & in Magistratum rebellles, abusos esse, constat. Hinc magna circumspectione opus est, nec dicto illo utendum, nisi superior quid præcipiat, aut vetet, quod disertis verbis in sacra Scriptura prohibetur vel jubetur. Nam alias certum est præceptum divinum, Magistratui, etiam in dubio, esse obediendum; id quod haereticex, maxime ille, quem nulla officii ratio in communionem juris haereticandi admittit, tutius longe sequitur, quam fraudem conscientiæ suæ, cui vitiosi affectus, & per hos malignus spiritus, illudunt saepissime. Porro tenebrio ingenii sui & oris petulantiam in Edictum Illustrissimi Regiminis, quod juris

factum est publici, acuit. Primum quidem iniquo fert animo, quod
 collectores rerum neo-antiquarum illud appellant Regium, cum
 saltem Regiminis subscriptionem præse ferat. Verum Collectores
 æque subscriptionem viderunt, eamque typis exprimendam cura-
 runt, nihilo tamen minus recte & vere Regium dixerunt, quia au-
 toritate & nomine Regis est publicatum. Porro tenebrio Illustrissi-
 mo Regimi imperitiam, & ignorantiam historiæ recessus de anno
 1663. proterve objicit, nec minus procaci ore mihi dat culpæ, quod
 historiam recessus istius Illustrissimo Regimi non exposuerim. E-
 nem vero plane ignoravi, Edictum illud promulgatum iri, nec post
 promulgationem exemplar ejus ad me transmissum est. Deinde mei
 muneric non est legislatoria potestas, multo minus vero mihi
 convenit, supremum Magistratum sine causa redarguere, quip-
 pe Edicto illo nil continetur, quod non sit probandum. E-
 tenim Recessus de anno 1663. multa complectitur capita, ho-
 dieque vim legis perpetuo valituræ obtinet. Itaque cum Illu-
 strissimum Regimen Recessum de anno 1663. in Edicto suo confir-
 maverit, sana ratio iam edocet, illam confirmationem ad unum e-
 jus articulum, cui per specialem legem derogatum est, trahi non
 debere, siquidem Lytæ norunt, legem priorem specialem per le-
 gem posteriorem generalem non sublatam, sed exceptam haberit.
 Itaque vana est Autoris seditiosa battologia, qua clerum concitat, ut
 querelas ad Serenissimum Regem adversus Illustrissimum Regimen,
 ejusque Edictum deferant. Hac occasione Author evagatur & in lau-
 des Pomeranici Jeremiæ, cuius gratia integrum hoc apologeticum
 emissum videtur, excurrit, eumque Martyrem, propter zelum pro
 incontaminata fide effingit. Verum datur Martyrium falsum, ima-
 ginarium, simulatum; de cuius generis Martyribus notatu digna sunt
 verba B. LUTHERI Tom 7 Jen. Germ. fol. 385. Es ist kein verstöcketer,
 hochmuthiger, ungelenketer Mensch, denn ein falscher eingebildeter
 Märtyrer. Also ist die Welt allezeit voller Märtyrer, aber das
 mehrere Theil füllt die Hölle mit Pfeilen des Himmels. In Pomerania
 inter omnes satis constat, quid distent æra lupinis. Sed exterorum
 gratia, maxime eorum, qui libellis famosis, mendaciisque sparsis, aut
 uni parti, altera non audita, temere fidem præbent, historiam &
 originem motuum, quos quidem Dn. Prof. PAPKE Concilio Acade-
 mico, & mihi, sub nomine & specie Orthodoxiae, in hac Academia
 exci-

excitavit, breviter ex fide actorum referam; unde constabit, qualis ipse sit martyr, & quanta inter eum, & Biblicum JEREMIAM, posita sit differentia. Initium turbarum, sub larva Religionis, ab ipso contra Concilium & me motarum, repetendum est ab anno 1721., quo novi Rectoris electio illis ansam dedit. Postquam enim Dn. Prof. KÖPPEN, e Facultate Philosophica per unanimam suffragia Rector erat electus, hoc Dn. Prof. PAPKE ferens ægerime, mox, electione ex more publicata, ira incaluit, e Concilio exsiliit, momentoque elapsō, redux factus, ira percitus & animo vehementer æstuans, electioni contradicebat, protestatione, quam dicunt, contra *Recessum Viss. Acad. interposita*, eademque neglecta, Magnificentissimum Dominum Cancellarium ambitionis querela sua oneravit, una in Magistratum Academicum invectus gravissime. Sed inanes sibi fecit sumptus, postea vel ipsi invito extorquendos, electione e praescripto siquidem legum suscepta, a Magnificentissimo Domino Cancellario confirmata. Neque sic quievit, sed vexatus ab ambitione & lucri amore, etiam a Regio Tribunal, ut fert fama, repulsam tulit. Verum enim vero casu accidebat, ut Dn. Prof. KÖPPEN electus Rector introduci non potuerit; sed interim alias e Facultate Theologica eligeretur, qui etiam per sesquiannum munus Rectoriale sustinuit; per quod quidem tempus stimulos conscientiæ Dn. Prof. PAPKE non emisit. Verum cum videret, quod Dn. Prof. KÖPPEN 1723. solenni ratione Rector introduceretur, ab hoc tempore ejus conscientia cœpit tumultuari. Nam non modo ipsum Serenissimum Regem nostrum per libellum supplicem adiit, exemplo hactenus inaudito, precibus contendens, ut sibi Rectoriale munus decerneretur; sed quoque plane inusitata via deprecationem Cleri Svecici apud Serenissimum Regem pro obtainenda Rectoriali dignitate, sub fuco zeli, emendicare est annis. Nam præter omne exemplum ad Consistorium Regni Svecici detulit, statum Academiæ Grypicae deplorandum esse; Fanaticismum & Pietismum ibidem regnare; Dnn. GEBHARDI & RVSMEYERVM Fanatica & Pietistica principia libere propalare; Concilium Academicum quoque Fanaticismo & Pietismo patrocinari; quin Jurisconsultos quoque ab eo stare. Præterea fingebat, se, cum huic veneno antidotum vellet opponere, ubique persecutio[n]es subire debere, & hanc quoque

quoque ob causam alium, ac se, Rectorem esse electum. Sic causa sua sat artificiose instruta, ut quidem credebat, anxie orabat in fine libelli sui, Consistorium Regni, ut preces suas pro dignitate Rectorali ad Serenissimum Regem missas, sua deprecatione commendaret. Scriptum, quod transmisit ad Consistorium Regni Svecici, integrum exstat in B. Domini Generalis Superintendentis de K R A K E V I T Z Acten - mährigen Bericht, p. 17. Rector & Concilium criminationem patrocinii Pietismi & Fanaticismi, sibi innocentissime objectam, ad animum revocavit, ideoque, exemplo scripti impetrato, e dignitate Academiæ esse duxit, legitimo processu coram Regimine Illustrissimo instituto, ob hanc atrocem injuriam & calumniam experiri, satisfactionemque debitam petere. Itidem Dn. Prof. PAPKE famosum scriptum, in me directum, ad Consistorium Regni transmiserat, in quo non solum multis verborum contumeliis me lacerauit, sed quoque propter Orationem de quæstione: *An Pietismus a pace religiosa excludendi?* a me anno 1719. habitam, graviter me accusavit, & patrocinii Pietismi insimulavit. Initio scriptum hoc coram Concilio sub oppignoratione salutis & honoris, testante, quod dicunt, Protocollo Concilii, strenue abnegavit. Qvam ob rem ab Illustrissimo Regimine citatus & de Autore libelli istius famosi quæsitus, partem scripti, quod antea salutis suæ æternæ fide interposita abnegaverat, a se profectam esse, confessus est; quamvis postea in actis jurato cujusdam testimonio ostendere voluerit, illud scriptum præter voluntatem suam Consistorio Regni exhibitum esse. Cum vero in illo gravissimæ injuriæ mihi essent illatæ, quibus simul fortunæ meæ struebantur insidiæ callidissimæ, non potui non ad exemplum Concilii Academicici Dn. PAPKIV minjuriarum atrocissimarum postulare, ac propter illas diem ipsi dicere, maxime cum privatum nullam vellet culpam agnoscere, quippe inter primarias virtutes adoptavit pertinaciam & opinionem infallibilitatis. Eventus utriusque processus hic fuit: Per sententiam Facultatis Juridicæ Francofurtanæ, & quidem ratione Concilii, condemnatus est in poenam 30. thalerorum, publicam deprecationem & restitutionem sumptuum, in litem impensorum, addita comminatione, ut ad tempus abstinere munere jubendus, aut, si tulerint rerum circumstantiæ, eodem omnino removendus esset, si denuo talia attentaret. In mea vero causa pariter

riter ei injunctum est, ut 30. thaleros, in pios usus convertendos, solveret, publice deprecaretur & processus expensas restitueret. Utramque sententiam per querelam nullitatis impugnavit, sed pure confirmatoria utriusque secuta est. Quapropter demum ad Regium Summum Tribunal provocavit; sed appellatio, quia nec forma agendi causam fuerat observata; nec res ipsæ pondus ac momentum secum vixerunt, rejecta est, ipsi adhæc propter novas injurias, in libello appellationis in Rectorem & Concilium ac in me effusas, multæ 20. thalerorum in singulis quidem causis imposita. Postquam sententiæ in rem judicatam transferunt, ego quidem depreciationis veniam ipsi indulsi, quia novi, eum serio nunquam deprecari posse, si vel maxime proximum suum læserit; sed solutionem multæ ac restitutionem expensarum petii. Injunctum est ei, ut sententiæ latæ satisfaceret. Sed Magistratui vel in pecuniaria pœna parere nescius, molestias demum multæ exigendæ maluit subire, omniumque oculis refractarium animum exponere. Rector & Concilium sententiis latís omnino inhæserunt. Hinc die depreciationi sub multa præfixo, ipsoque non comparente, mox executio multæ & expensarum per literas est mandata. Verum retinuit pravam animi contentionem, & nulla habita ratione pœnalis istius mœtati, quo Illustrissimum Regimen discessum interdixerat, fugæ clandestinæ ac præcipiti fese commisit, & hac ratione justitiam interim evasit. Ex vera hacce rei gestæ enarratione effigies martyris Pomeranici JEREMIAE elucet. Fons & scaturigo hujus mali fuit ambitio, & auri sacra famæ, quæ alias habere solent comites, obtestationem & mendacium, unde non possunt non infinitæ contentiones atque injuriæ propullulare. Ambitio patitur, ubi non potitur caducis & vanitate. Hoc martyrium Dn. Prof. PAPKE sustinuit, eo quod irritus & vanissimus fuit ambitus Rectoralis dignitatis, & utinam ne ipsi accidat, quod dici solet: *Camelus desiderans cornua, etiam aures amissit.* Præterea nil perperclus est, nisi quod propter malefacta, injurias & calumnias, juri & justitiæ suam deberet luere temeritatem; qualis passio non est martyrium; i. Petr. IV. 15. sed malum accersitum & spontanea molestia, seu techna in se ipsum instructa. Mala enim malis eveniunt. Si quis ea, quæ jus & justitia Domino Prof. PAPKEN irrogarunt, pro martyrio vendi-

tare audeat; ille est maledicentissimus conviciator, quia Illustrissimum Regimen, Regium Summum Tribunal, imo extra partium studia positus JCtos Facultatis Juridicæ Francofurtanæ, mendacissime arguit, quasi Dn. Prof. PAPKEN tanqvā innocentem Martyrem propter zelum pro incontaminata fide condemnassent. Isteusmodi maledicuſ non verbis, sed verberibus publice castigandus ac coercendus est. Qvod attinet ad certamina ejus Theologica, nil ideo adhuc sustinuit. Evidem in Concilii Academicī, & mea causa, etiam sub scuto conscientiæ & zeli, impunis evadere cogitavit; sed frustra, quia injuria manifeste fuit probata. Ne dicam, quod argumenta simulatae conscientiæ & larvati zeli nimium quantum affulserint. Nam primum ex facti enarratione liquet clarissime, originem zeli ejus ex appetentia nimia Rectoralis dignitatis, quam anxie captabat atque inhiabat, esse repetendam. Hoc in primis ex meo exemplo apparer. Oratio, cuius in superioribus mentio est facta, eo tempore, quo Rex Daniæ Pomeraniā tenuit, a me habita est. Per tres & ultra annos contra eam ne mussitavit quidem. Ubinam tum ejus conscientia & zelus? Postquam vero anno 1723. non ipse, sed Dominus KÖPPEN Rector fuit introductus, tum demum ejus conscientia visa est evigilare, & in me insurgere, quia existimavit, me auctore factum, quod per unanimia suffragia placuit. Unde demum valida oritur præsumptio, quod ambitio ipsius larvam conscientiæ induerit. Atque hæc præsumptio ab aliis adjuvatur circumstantiis. Etenim rerum prudentes sic fere omnes sentiunt, quod causanti & prætendenti conscientiam & zelum divinum, credendum non sit, si idem in aliis rebus, causisque per vitam suam non adeo conscientiæ rationem habeat. Qvodsi hujus rei probatio a me exigatur, legitima probandi media mihi suppetunt. Præterea qui impetuose agit, inque eos, quos habet suspectos, conviciis ac maledictis invehitur, hic etiam misere ad conscientiam provocat, quia ira, æstus, impetus certissimum præbent argumentum, illum non conscientia duci, sed potius malitiæ & passionum suarum impotentia regi, trahique. Qvodsi enim conscientiam sentiret, non opprobriis adversarios suos morderet. Hoc ultimum signum fraudis conscientiæ si sequi liceat, conscientiam Dn. Prof. PAPKEN acta satis testantur. Nam illa docent, ipsum acerbissime in Theologos, cum quibus certat, scripsisse.

scripsisse. Quin vix unus atque alter in toto Collegio Academicu-
superest, quem maledica lingua non fuisset aggressus. Nec veritus est,
in schedula, ad Collegam quendam scripta, me, tunc temporis Ma-
gistratum Academicum gerentem, sine ulla causa nomine contume-
lioso inquinare; quam ob rem ultra 5. annos Concilio exclusus vixit,
neendum receptus, quia hanc injuriam haec tenus agnoscere noluit.
Denique nec ab injuriis, quas evomuit in Concilium Academicum,
sibi temperavit, denuo ob hanc causam actione injuriarum ad re-
motionem ab officio conventus. Sed progrediendum est ad §. 15., § 15.
in quam tenebrio plura aliena congesit, quæ ad me non spectant,
& hinc prætermittenda. Interim animadverto, Autorem subinde
calumniam cum zelo divino, aut tamen zelum malum cum bono,
confundere. Nam datur zelus, qui non est secundum scientiam,
ac cæcus potius impetus ac furor dici debet; Rom. X. 2. Phil. III. 6.
Gal. I. 4. Act. V. 17. Judæi, putantes, se zelum DEI habere, sacrilegi
exstitere in filium DEI, quia non secundum scientiam zelotæ fuere.
Itaque zelotes diligenter zelum suum explorare debet, cuius sit ge-
neris. Porro Autor in eodem §. falsitatem committit, dicens, me
in Dissertatione viris, pro veritate cum zelo pugnantibus, vitia &
crimina haereticationis, calumniarum & conviciorum, objecisse.
Sed ipse ingressus Disf. evidenter edocet, quod hæc indefinite illis
solum tribuerim, qui per calumniam aliis haereseos maculam inu-
runt. Auctor denuo pro Prof. PAPKEN desudat, eumque pro-
pugnare annititur, quod, tametsi Mathematicus, tamen pro fide
recte excubet, i. e., se Theologicis controversiis possit ingerere.
Hoc quidem ad meam Dissertationem non pertinet: Attamen quia
memini, me olim in artis Dn. Prof. PAPKEN opposuisse, quod ipsi
neque qua Mathematico, neque qua Magistro liberalium artium DE-
US has officii partes imposuerit, ut Theologica publice ventilet.
Hinc facile intelligere licet, hæc me attingere, idque vel eo magis,
cum Auctor sèpe sub larva Dn. Prof. PAPKEN loquatur, vel mini-
mum ejus sit armiger, ab eo ipso instructus. Verum adhuc in mea
sententia persisto, inque ea per sacram Scripturam confirmor, 1. Petr.
IV. 15. oder der in ein fremd Ains greifst; item Sirach. III. 24. Was
deines Ains nicht ist, da lass deinen Fürwitz. Denn dir ist vor mehr
befohlen, als du kanst ausrichten. Add. Jer. XIV. 19. Hebr. V. 4. Ipsi

sapientes Ethnici hoc agnovere. Sic CICERO ait: *Quam quisque noverit artem, in hoc se exerceat; & HORATIVS canit: Tractant fabria fabri.* Ex his luculenter appetet, quemlibet functioni, ad quam vocatus, vacare, nec doctrinam, sibi non concreditam, aggredi debere. *Qyinimo vocationis defectus est male causæ indicium.* Qvodsi auctor cuivis licentiam Theologica publice docendi ac disputandi concedat, nimium *Qyakeris* faveat, qui idem defendunt & exercent. Sed aliud in Evangelicis obtinet ecclesiis, ubi omnia ordine & decenter fieri debent. Deinceps si cuilibet pateat hæc libertas, cur prius licentia a Theologica Facultate conceditur? Auctor Theologicam Dn. Prof. PAPKE scientiam verbis extollit; de qua tamen Theologus, alias orthodoxus, hocce tulit judicium, eam uno alterove Collegio Theologico Manuscripto absolvit, a quo quicquid discesserit, hoc solo nomine ab eo damnari. Ego ita ingenuo sentio, quousque Dominus Prof. PAPKE nullo pastorali officio ornatus, aut per examen Theologicæ Facultatis approbatus, publicum eruditionis testimonium non ediderit, eosque ipsum estimatione civili pro eo esse habendum, qui eruditione sufficiente & idonea ad Theologica publice docenda & ventilanda destituantur. Equidem Autor huic meæ sententiæ inclementius maledicit, dicens, Satanam animadvertere, eximium hoc DEI organon valere dono probandi spiritus, an ex DEO sint &c. Sed e contrario de iis, qui non vocati currunt, dicere mihi licebit, Diabolum animadvertere, aptius organon ad turbandom Ecclesiam non dari, quam quod vocatione divina destituitur; hinc ejus operam in magnum Ecclesiæ damnum eundem saepius convertere. Præterea autem judiciorum magna est varietas. Meinini, me legere de Assassino Principis Arausionensis, tormenta gravissima imperterritu animo & læto vultu sustinente, quod Pontificii judicaverint, eum a Spiritu sancto miraculose confirmatum; & Evangelici contra statuerint, a Diabolo illum obsecrum & induratum fuisse, ne cruciatus sentiret. Sane Dn. Prof. PAPKE in tenebrionis cæco judicio parum præsidii invenit. Laus, a tenebrione profecta, infamia potius est, quam laus. Ipse expertus sum, donum, quo Dn. Prof. PAPKE est instrutus, in eo consistere, ut falso sive per inscitiam, sive malitiam, innocentibus hæreseos crimen possit affingere. Nam innocentii loquendi

quendi formulæ, qua in Programmate quodam usus eram, scribens: *Spiritus Sanctus modum procedendi in cœlesti Academia didicit;* magna impietate hærefoes stigma mox inure non est veritus. Cuilibet est cognitum, hæc verba divino modo intelligi debere. Nihilominus Auctor famosi libelli, latens sub nomine J. H. GEORG. SILBERSTEDII de fermento Pietistico, & conscientiis pessime consulens Anonymus in der Gewissens-Rüge an den Herrn General-Superintendenten von Krakevitz, heterodoxia me ideo postularunt. Sed hic nec in ipsum Apostolum furere erubescunt, qui ad eundem modum est locutus: *Der Geist des Herrn forschet die Tiefe der Gottheit.* Eandem formulam orthodoxus Theologus quidam, cuius libris B. PFEIFFER, maxime orthodoxus, præfationem præmisit, in qua Auctorem mirifice laudat, usurpavit, a quo eam mutuatus sum; ceu B. Domino Generali Superintendenti de KRAKEVITZ ostendi. Ne dicam, quam frivole, quaque mentis temeritate, Collegas non Theologos idem ille PAPKE fuerit aggressus. Nihil enim quicquam tam probe ac provide dici potest, quod ipse non vellicet & amara fugillatione perstringat, cum ex adverso ipse vel nihil, vel decies cocta, in lucem proferat. SCHLÜSSELBURGII exemplum non moror, cum exemplis non sit judicandum. Consulas interim Epistolam Professoris cujusdam Wittebergensis, in qua minus honorifica ejusdem sit mentio, quæque in Dn. LOESCHERI Historia motuum, L. 2. c. 5. offenditur. Evidem plenam fidem ipsi non adscribo, nec tamen necesitas statuendi mihi est imposita, SCHLÜSSELBURGIVM ad ea, quæ Wittebergæ egit, divinitus esse vocatum. Proinde Dn. Prof. PAPKE parum tuto cum illo confertur, cum ille pessime ambitionem, tanquam finem, sibi habuerit præfixam ac constitutam, ut ex negotii gesti recensione, quam in superioribus instituimus, patet evidentissime. Auctor in eodem §. fabulatur, Academiam Gryphicam factam esse sedem pestilentiarum hypothesis. Sed ipsum esse falsidicum & felicissimum in construendis mendaciis, testatur Edictum Regiminis, anno 1730. promulgatum. Per me alias liceat Dn. Prof. PAPKENIO, ut sit unus omnium loquacissimus, & scribat, quantum velit, modo injuriis mihi intentionis abstineat. Neque enim Theologica litigia, quibus est involutus, quæque mihi maximam partem incognita, nec visa unquam

aut lecta sunt, mea facio, qui haud procaciter inter hos sinus & scopolos navigamus. Interim Theologi, quibuscum litigat, errores sibi ab eo impactos, suos non agnoscunt; sed sibi per invidiam affectos esse, afferunt. Quemadmodum vero nec Theologis, quos suspectos reddere intendit, judices esse, convenit; ita nec ipsi, sed illis decisio fuit permittenda, ad quos eadem jure quidem optimo pertinet. Jam vero constat, ex voluntate & mandato Serenissimi Regis nostri Commissionem, quam ducunt, constitutam esse, cui ipse Illustrissimus Gubernator Pomer. & Rugiae praefuit, & praeter Politicos, e Theologis interfuerunt B. Dn. Generalis Superintendentens Pom. & Rug. de KRAKEVITZ; Superintendentens Sundensis ac Theologiae Doctor Dn. LANGEMACK; nec non Dn. Doctor Theologiae & Praepositus Bergensis RITTER, ac Dominus SIBETH, Pastor ad templum Mariæ civitatis Sundensis, itidem nunc Doctor Theol. Hi Theologi, vita inculpata conspicui, atque a doctrinæ sinceritate commendandi, nulli parcentes operæ, per multos dies controversias Theologicas examinarunt, & rebus omnibus compotis, Edictum Regiminis anno 1730. est promulgatum. Certe alia vel tutior ratio procedendi circa exorta certamina Theologica in Ecclesiis Evangelicis non datur. Jam expendat Autor, si paulum sanæ mentis ipsi superstis, numne orthodoxis illis, & a partium studio remotis Theologis plus fidei tribuendum sit, quam Prof. PARKENIO, affectu in adversarios suos abrepto atque incenso. Ex mea sententia Dn. Prof. PARKEN, uti mihi, convenit, superiorum decisa & Edicta omni mentis veneratione colere atque amplecti. Qvam ob rem Author iste adeo multa ex Oratione Gothenburgica exscripti pserit, & chartæ illeverit, non adeo liquet, cum plane sint res alienæ, ad rem praesentem nihil facientes. Sed id omnino detestandum est facinus, quando Autor rebellem animum subinde exserens, Clericum universum contra Illustrissimum Regimen turbulentia concione denuo commovere, atque omnia conturbare, permiscere ac convellere est molitus. Sane metuendum est, ne hic tenebrio, quando Serenissimus Rex acta Commissionis rata ac valida est habitur, ultima desperatione adactus, Svecos ac Pomeranos, Clericos ac laicos contra ipsum Regem tumultuosa oratione sollicitet. In §. 16. §. 16. Autor iterum comminiscitur, quod leges illis opposuerim, quibus

bus veritas adversus novatores in Pomerania sit cordi. Inventum
 hæretificum plerumque est, ut adversario, cui male cupiunt, no-
 vatoris nomen imponant; de qua re vid. PV FENDORFI cap. 2.
speciminis controversiarum circa Jus Nat. ipsi motarum. Sed sive illi in
 Pomerania sint; sive non; attamen falsa mihi est facta imputatio,
 quia unice mihi res cum illis fuit, quibus calumnia est curæ cordi-
 que, seu mendacibus diffamatoribus, furibus spiritualibus, qui al-
 terius bonum nomen ac famam per falsam hæreseos criminatio-
 nem convellunt, lacerant, ac nequiter & inique eadem ipsis eripi-
 unt, aut tamen eripere attentant: Et hæc indefinite posui. Cujus
 hac in re conscientia non vulnerata, illum nec decet, ut ingressum
 Dissertationis meæ tractet indigne. Interim non crediderim, sub
 verbis: *Wes Standes oder Würden sie seyn,* potius intelligi Ma-
 theoseos Professorem, quam alium quemquam nec infimæ fortis lai-
 cum. Nam verba illa de iis accipi possunt, qui autoritate, Theo-
 logica publice docendi, sunt muniti. Uti etiam verba: *Der studi-
 renden Jugend vorstehen;* de Theologiæ Professoribus, non de
 Professoribus Medicinæ aut Philosophiæ intelligi debent. Id con-
 stat, uti in aliis Academiis, sic neque in nostra, Philosophiæ Pro-
 fessoribus concessum esse, Theologica publice profiteri. Reliqua
 Edicti verba in cassum adducuntur, cum hic desit factum, ad quod
 applicari possint. In §. 17. mea res non agitur; unde ea tuto pos- §. 17.
 sum prætermittere. In §. 18. repetit jam cocta, quod nempe leges §. 18.
 & mandata superiorum illis objicere nequeam, qui in Pomerania
 puram doctrinam Socinizantibus & Fanaticis opinionibus inquina-
 ri nolint, & quæ alia, a me in thesi nunquam negata, assert. In-
 terim alii artibus hæretificum hanc, utpote primariam, accensent,
 quod hæretices sententiis Theologorum, quas infamandas suscep-
 perunt, nomina hæresium dudum damnata imponant, quibus au-
 ditis, vulgus doctrinam invisam non amplius expendendam putet,
 cum nomen dudum sit datum. Ut ut vero res sese habeat, ta-
 men falsum est, me illis leges opposuisse, qui in Pomerania cu-
 ram agant puræ doctrinæ, cum differens de hæretificibus per ca-
 lumnam, Pomeraniæ ne verbulo quidem mentionem fecerim.
 Quin Autori concedo, inter hæretices, pœnis coercendos, male
 referri, qui incorruptæ doctrinæ curam gerunt; sed vicissim mihi
 dabit,

- §. 19. dabit, rectissime illos hæretices, quos descripsi, eo referri. In §. 19.
 Autor allegationem ZIGLERI vellicat, existimans, illum a me mi-
 nus apposite citatum esse. Verum non ignoro, ZIGLERVM de
 iis, qui contra hæreticos pugnant, non loqui; sed de illis, qui per
 hæretificium Ecclesiæ pacem turbant, & hanc in rem accommo-
 §. 20. date ZIGLERVM allegavi, In §. 20. Autor exscripsit verba Disser-
 tationis meæ de Jurispr. non Papiz. cap. ult. n. 4. pag. 41., quibus ex-
 posui, quis per hæreticum in Ordinat. Eccles. Pom. intelligendus non
 sit. Qvi mentem omnem non exuit, exscripta ista nunquam im-
 §. 21. probare potest. Nam quando Autor in §. 21. ait, eum, qui notorie
 errores fovet, sine Superintendentis & Ephori consensu si non re-
 legandum, tamen ab officiis arcendum esse; hæc sententia sane
 tyrannica & crudelior est, quam quidem Hispanica Inquisitio. Ju-
 ra alias disponunt, nec Diabolo defensionem denegandam esse;
 sed Autor rigidior eum, quem hæreticum habet, sine ulla defensio-
 ne ab officiis removendum esse, contendit. Æquivoce is loquitur,
 dum utitur voce Ephori, quæ etiam significat Magistratum. Qvodsi
 Autoris mens sit, eum, qui notorie errores foveat, sine Magistratus
 & Superintendentis consensu ab officio arcendum esse, tum qui-
 dem non facile absurdior, & a ratione alienior sententia est audi-
 ta. Si Magistratus consensus non est necessarius, quis eum arcebit?
 Num hæretifex? O infelicem piorum sortem, si tanta impietas
 esset licentia! Autor forte in eo præsidium querit, quod loquatur
 de eo, qui notorie errores foveat. Sed lumen luto purgat. Dic
 sodes quid est notorium, an illud, quod hæretifex pro eo habet?
 Notorium est inventum Pontificiæ tyrannidis, quo cleris papalis
 usus est ad opprimendos eos, quos habuit odio. Sic testantur res,
 a pontificibus gestæ, adeo præcipitanter & perverso more de hæ-
 reticis, tam veris, quam fictis, judicatum esse, ut inauditi con-
 demnati & negata defensione, ejecti, & sine debito examine pro
 hæreticis declarati fuerint, qui vel suspecti aulæ fuerunt, aut hie-
 rarcharum artes prodere sunt ausi. Conf. BÖHMERI J. E. Profess.
 tit. de judic. Fundamentum unice in eo constituerunt, quod
 hæresis sit manifesta; hinc collegerunt, rem citatione nulla, inda-
 gatione, probatione aut sententia indigere. Ita cleris papalis per
 plura saecula hæreticæ pravitatis tyrannidem exercuit. Hanc in
 usum

usum Autor reducere satagit. Sed ipse Pontifex ALEXANDER III. in cap. 14. X. de Appell. ex vero dixit, multa dici notoria, quæ talia non sunt. Pariter hæretices hodienum multa pro notoriis habent, quæ sunt novissima; vid. omnino Dn. BÖHMER. all. L. STRYKII Diss. de notorio; D. AVGVSTINI BALTHASARI'S inauguralis Dissert. sub meo præsidio habita, de probatōne in continenti, cap. q. n. 21. Autor in §. 22. §. 22. afferit, privatorum denuntiationes in crimine hæreſeos non esse rejiciendas; sed audiendas & ponderandas, & minimum per unam horulam loca citata evolvenda & consideranda esse. Sed idem omnes sentiunt JCti; & hæc mea quoque est sententia, praxi in patria observatæ conformis. Sed hæretificum non est denuntiatio. Delator seu denuntians, (Germanice ein Rüge-Meister, sic secundum nonnullos dictus a voce Ruhe stöhren, ut Synonyma ipsis sint ein Ruge-Meister und Ruhestöhrer,) simplicem facti narrationem exhibere debet, neque hoc calumniose, aut falso. Calumniolus enim mendax denuntians graviter est puniendus; GRANTZ. in Defens. inquis. passim, & in primis cap. 6. membr. i. Sect. 4. n. 1. sqq. Minime vero denuntianti convenit, ut in denuntiatum convicia effundat; HERTII Respons. 558. n. 12. 13. 14.: Qui id fecerit, pœna dignus est, et si delictum verum denuntiavit, quia veritas delicti maledicuum a pœna non omnimodo liberat. Ex his apparet, quantopere illi a vero aberrent, qui sibi privilegium datum esse putant, in eos, quos doctrinæ suspectos habent & inde denuntiant, maledicta ac scismaticata evomendi, plaufra convitiorum convehendi, nomina veterum hæreticorum illis imponendi; qua ratione simul jus decidendi vere sibi arrogant, quod tamen soli magistratui competit, imo plus agunt, quam huic quidem licet. In §. 23. Autor adstrue- §. 23. re conatur, libellos famosos non esse, in quibus crimen hæreſeos alicui impingitur, quia ad libellum famosum requirit, ut objiciatur delictum, infamiam in foro Politico secum ferens. Verum Autor proprio jugulatur gladio. Etenim crimen hæreſeos in foro Politico inferre infamiam, constat ex L. i. in fin. C. de SS. Trin. auth. GAZAROS C. de heret. Quid plures pœnae civiles in hæreticos constitutæ sunt, ceu patet ex Diss. mea de pœnis heret. cap. ult. Autoritas collectorum rerum neo- antiqu. in judiciis omnino nulla est; hinc vana eorum allegatio. Porro Autor in §. 24. ait, non statim libellum famo §. 24. sum

sum esse, cui nomen non sit præmissum. Verum ex hoc solo scriptum quoddam non assumit faciem libelli famosi, sed præterea requiritur, ut crimen notabile alicui in eo deprehendatur objectum, quale est, ut rem exemplo illustrem, crimen hæreseos. Auctor tandem agnoscit, optandum esse, ut scriptis polemicis semper nomina addi possent. Sed quidni liceret? Forte nomina quidam non præfigunt vel ideo, quia consuetudinem conviciandi deponere nequeunt, aut, quia objectum crimen hæreseos probare non valent; unde criminatio exit in calumniam. Hinc metuunt pœnas, in convicatores & calumniatores constitutas, quas in foro soli evadere intendunt, dum in tenebris latent; nec enim de foro poli istiusmodi homines in conscientia sunt solliciti, omnia ad animi sui æstuantes libidines explendas referentes. Sed ringatur Auctor, utut voluerit, veri orthodoxi, & pii omnes illa eruditorum carcinomata & propria detestantur. Qvodsi quis modo ab injuriis & calumniis abstineat, neminem honestæ frontis pudere debet, polemicis scriptis nomen præscribere. Exempla non faciunt jus, nec causa eorum inde efficitur justa, si vel maxime Collectores rerum antiquarum & novarum

§. 25. partes tenebrionistarum defendendas suscepereint. In §. 25. tenebrio commemorat, me non ignorare, Dn. RVSMEYERVM & Dn. BALTHASAREM adhuc persistere in ea sententia, Theologiam impii, tametsi sacrī literis conformem, non esse a Spiritu sancto. Quid ipsi in hac controversia sentiant, satis exploratum haud habeo. Mihi sufficit, ex Edicto Illustrissimi Regiminis constare, nil periculoso hic subesse. Præterea vero Auctori appreco, ut sit salutariter illuminatus, nec vero impius illuminatus, quia impius illuminatus, peccata committens, est ex Satana; i. ſub. III. 8. Denique vero non est infrequens disputatorum artificium, ut magnitudine rei occupent animos, quo difficilis aditus ad veritatem relinquitur. Nec raro dantur dissensiones, quæ postremo in logomachiam abeunt. Quæ dicta tamen de ista controversia, maxime ratione consequentiarum,

§. 26. minime accepta volo. In §. 26. Auctor suspicatur, quod ea, quæ obiter de *Responsis Theologicis* in mea Dissertatione in medium sunt prolata, in gratiam Theologicæ Facultatis Rostochiensis scripserim. Non solet quis facile de altero suspicari, nisi ipsi sit mala mens, malus animus. Vir probus enim nihil arguit suspiciose. Causam suspicionis inde arripit, quod Ordo Theologicus Rostochi-

stochiensis contra Studiosum, novatoribus addictum, & mihi
 affinitate junctum, Responsum conscriperit. Ceterum dignitate
 Magistri est idem conspicuus, contra quem Responsum illud da-
 tum, neque ulla affinitate mihi est junctus, quod hic notorium &
 manifestum est, quia affinitas saltem inter maritum & uxoris cognati-
 tos, & versa vice, intercedit. Ex mere falsis igitur non posunt
 non falsa colligi. Ceterum nemo JCTorum negabit, quin Recessus
 Imperii justa interpretatione ad Theologica Responsa trahi debeat.
 Si quis hoc negaverit, illud turpi ignorantiae juris est transcriben-
 dum. Auctor afferit quidem, judicem consiliis, in jure & facto
 fundatis, recte assensum praebere. Verum inde non sequitur, ut
 Responsa vim sententiæ habeant. Quid si Responsum etiam juri &
 facto conveniat, tamen, quando judex aliter sentit, ut illud sequatur,
 nullalege adstringitur, quippe judex ex sua, non Respondentis
 conscientia litem debet decidere. Præterea vix poterit contingere,
 ut Responsa juri & facto sint conformia, cum ad unius partis
 sepe falso narrata, inaudita altera parte, emanare soleant. Inaudi-
 tum condemnare, contra jus & fas est. Ipsi Pontificii agnoscunt,
 contra inauditam partem nil posse definiiri. Sin Autor vel maxime
 infallibilitatem Responsis Theologicis tribuat, tamen tanta venera-
 tione illa non astimo, quippe cum non desint vel orthodoxorum
 Theologorum testimonia ac querelæ de Responsis Theologicarum
 Facultatum, præcipiti animo factis. Constat etiam, Responsa di-
 versarum Facultatum Theologicarum in una, eademque causa sepe
 contraria existere; exempla sunt obvia in JAC. HENRICI BALTHASA-
 RIS anderer Sammlung, & quidem in Vitis Avgvstini BALTHASARIS
 & RANGONIS. Unde sequitur evidenter, Responsa Theologica au-
 thenticam fidem non habere, nec credo, Theologicam Facultatem
 Rostochiensem suis Responsis auctoritatem infallibilem velle afferere.
 Qvod Ordo Theologicus Rostochiensis falso narratis sit circum-
 ventus, nullibi dixi, nec jam illud adstruo, quia in thesi, ut ajunt,
 non in applicatione, de Responsis meam tuli sententiam; nec nunc
 ea aliter scripta, extensa vel intellecta volo. Interim rei est caput,
 numne falso narrata Facultati Theol. Rostochensi obrepserint? id
 quod certius definire licebit, si narrata mihi fuerint exposita.
 Tandem Autor in §. 27. vociferatur, disputatorem Grypicum le. §. 27.

ges verecundiæ longissime supergressum esse, propter sequentia
 Disserit. verba, quæ offenduntur pag. 41.: ab ejusmodi quandoque in-
 formibus & temulento impetu factis. Qvæ verba Autor de Responsi
 Facultatis Theologicæ Rostoch. interpretatur. Qvo jure id faciat,
 ipse videat, cum ne verbulo quidem Responsi Facultatis Theol.
 Rostoch. mentionem fecerim, & indefinite dixerim in plurali nu-
 mero, miseram innocentis Christiani fortè fore, si fortuna & existimatio
 ejus ab ejusmodi (nempe ad unius partis falso narrata emanantibus)
 quandoque informibus & temulento impetu factis responsis penderent. Nec
 Autor forte, vel quisquam alius sobrie mentis, concedet, quod
 sua fortuna inde pendeat. Sin Autor obvertat, non posse casum
 existere, ut a Facultate Theologica Responsum informe, aut temu-
 lento impetu factum, concinnetur: Attamen mihi licuit casum
 supponere, cujus existentiam affirmare non est necessum, uti in do-
 ctrinis fieri solet. Præterea autem mihi perswasum habeo, casum
 ejusmodi omnino posse contingere. Nam Theologi æque homi-
 nes sunt, ac laici, & affectibus suis vehementius sæpe abripiuntur,
 quam quidem laici. Qvi modo leviter in Historia Ecclesiastica est
 versatus, huic ignotum esse néquit, Theologos non raro acerri-
 mos in suis defendendis, ac contrariis refutandis extitisse. Nec
 minus temerariæ ac perversæ condemnations ac mutuæ hæretifi-
 cationes inter eos audiuntur, dum se invicem sæpe hæreticos
 damnabiles & execrables comminiscuntur. Quin non defun-
 exempla, ubi dissentientes, nec semper in magnis rebus, se mutuis
 convictiorum, disteriorum, aliorumque mentis minus compositæ
 excrementorum plaustris adeo oneraverunt, ut nec commessabun-
 di pejus id agere potuerint. De MELANCHTHONE refertur, quod
 aliquando albo amici, etiam secundum BECMANNVM in polit. paral.
 cap. 17. §. 9., tabulæ inter chartas ejus post mortem inventæ, hæc
 verba inscripsérunt:

Noli metuere morem.

Quia

Liberaberis a peccato,

Ab omnibus Ærumnis,

A Tyrannide Diaboli,

A RABIE Theologorum.

Quia

Venies in conspectum DEI,

Et ibi disces arcana Mysteria

De DEO, que in hac vita

Asequi non posuisti.

His

His perpenis, dum PHILIPPVS MELANCHTHON rabiem Théologis adscribit, quidni posset accidere, ut a Theologicis Facultatibus informia & temulento impetu facta responsa proficiscerentur. Interim Auctor verba illa, *temulento impetu*, sine necessitate de vino-
lento intelligit. Hæc non mea fuit mens, quamvis non sine exem-
pli omni fuerit Theologus temeto impetuofus, sed saltem de im-
petu temulento sum locutus. Hic vel sobrium potest occupare.
Nam temulentia alia est *sicca*, alia vero *madida*. Animi enim pertur-
bationes ebrietatis speciem præbent, uti docent sequentia:

Ebrietas a me procul est, hoc dicas in horas,

Nec nimio est unquam mens mea mota mero.

Quid tum? Si pectus tenet insaturata cupido,

Ira si ratio dat tua victa locum.

Si levibus causis alios incessis, erisne

Sobrius, exigui sis licet ipse meri?

Sobrius esse potest, ratio quem deserit omnis?

Nec madida ebrietas, nec mihi sicca placet.

Itaque temulentum impetum illis adscribo, qui præcipitanter, teme-
re, immodico magis impetu, quam judicio, rem agunt, & si qua,
non madida, sed sicca ebrietate laborant. Hoc intuitu ira, odio &
generatim affectibus suis temulentus quis esse, ac dici potest, licet
temeto non sit inebriatus. Nunquam vero Theologos Rostochien-
ses temulentæ accusavi, nec verbulū quidem in Dissert. mea ex-
stat, ex quo asserere liceat, Responsum Facultatis Theol. Rostoch.,
quod in quæstionem vocabatur, fuisse informe ac temulento impe-
tu factum. Unde manifesta evadit injuria, qua tenebrio me affe-
cit, dum per modum retorsionis, nomine Facultatis Theologicæ
Rostochiensis, cui nullam omnino feci injuriam, sine omni ejus
mandato, quippe ipsa, uti quidem percepí, hoc scriptum detesta-
tur ac fastidit, me temulentifici dictero scurriliter perstrinxit. Ipsa

Facultas Theologica fundatam actionem injuriarum contra tenebrionem habet; eo quod verba mea, indefinite & generatim posita, publice & sat injuriose ad Facultatem Theologicam Rostochiensem applicuerit, cum hac in re me non habeat sponsorem, einen Wehrs-Mann; nec etiam secundum commune proverbium: In injuriens hilft kein Wehrs-Mann; inde tutamen possit petere. Verba Dissertationis meae pag. 13. Autor per ignorantiam non assequitur. Nam Jcti distingvunt inter Responsa, quæ judex a Facultatis bus ad plena acta judicialia expedit, & per modum sententiae nominae judicis concipiuntur, qualia tam Juridica, quam Theologica, vim sententiæ obtainent, & de his verbâ p. 13. sunt capienda; & inter Responsa, quæ privatim ad unius narrata desiderantur, quæ nullius valoris, nec in judiciis secundum Recessum Imperii attendenda sunt, adeo, ut casus noverim, quibus ille, qui Responsū pro sua causa ad Acta exhibuerat, nihilo minus non solum causâ cadere debuit, sed etiam expensarum condemnatus fuit, cum alias Responsum a temeritate litigii excusare soleat. Pariter hæretifex, qui innocentem crimine hæreseos diffamavit, si vel maxime Responsū Theologicum pro se adduxerit, tamen recte est puniendus, & restituendarum expensarum ex causa condemnandus. Sed hæc luffiant. Auctori adhuc meliorem mentem ex animo appreco. Sin lingvæ suæ petulantiam in posterum in me acuere & exercere perseveraverit, a me quidem nulla amplius responce judicabitur dignus; nec enim mihi suppetit tempus, quod litigii istis inanibus possim impendere. Hinc Auctori, in tenebris oberranti, aliquis tenebrionistis, patienter permetto, de melioribus ut male loquantur & scribant.

* * *

Adhibita licet omni cura, quædam tamen sphalmata irrepererunt:

Pag. 9. lin. 27. loco dicti legatur dicto. p. 14. lin. 32. legatur und Seilen des Himmels. p. 15. lin. 30. legatur exemplum.



mc

Ka 6258 a

WIR

ULB Halle
007 412 894

3






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-822022-p0040-1

DFG

B.I.G.



L 88
C. I. num. 28.
82

PHIL. BALTHAS. GERDESI,

J. U. D. ET PROF. ORDIN., AC REGII CONSI-
STORII PER POMER. ET RVGIAM DIRECTORIS,

VINDICIAE

DISSERTATIONIS

DE

IVRISPRVDENTIA NON PA-
PIZANTE;

OPPOSITÆ

AVCTORI ANONYMO

ADMONITIONIS

DE

HÆRETIFICATIONE.

GRYPHISWALDIAE

PROSTANT

APVD CAR. HÖPFNERVM, REG. ACAD. TYPOGRAPH.,
ANNO MDCCXXXII.

